



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

In tentatione contra acceptam correctionem, obedientiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54750](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54750)



tuam, & quam mihi dedisti in meam, hanc à me averte cæcitatem, ut non sequar desideria carnis, propriam voluntatem, & nec ex superbia, nec etiam ex pusillanimitate [quam diabolus mihi inspirat, quasi sive ex defectu virium, sive talentorum aptus non essem ad munia Societatis] deferam vocationem meam. *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vite mee.* Nam teste Bern. de modo bene vivendi cap. 20. *Qui congregationem sanctam relinquunt, à Societate DEI elongantur, atque dominio diaboli subjugantur.*

*In tentatione contra acceptam correctionem, obedientiam.*

**N**on declines cor meum in verba malitia ad excusandas excusationes in peccatis. Ps. 140. *Priusquam humiliarer, ego deliqui.* Ps. 118. *Ut jumentum factus sum apud te (& Superiores, tuos Vicarios) & ego semper tecum. Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua [per Superiores meos] deduxisti me.* Ps. 72. *Disciplina tua correxit me (pro præterito) disciplina tua ipsa me docebit* Ps. 17. pro futuro. *Inobedienti subtrahitur gratia congrua juxta illud Psal. 80. Non audivit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi, & dimisi eos secundum desideria cordis eorum (non præservando ab occasionibus, in quibus eos lapsuros prævidi) ibunt in adinventionibus suis.* Et quò? ad infernum. *Emphatica est Christi sententia Luc. 10.*

*Qui*



*Qui vos (Superiores) audit, me audit. Qui vos spernit, me spernit.* Demum, dum in æstu es ob hanc vel illam molestiam, mortificationem, humiliationem tibi illatam, vel pœnitentiam injunctam, vel amore proprio occæcatus te nulloatenus agnoscis reum? vel bonus ad rationem ac ingenuitatem recursus te facit paulatim agnoscere, quòd hoc illud promeritus sis? Si *ultimum*, placabitur etiam paulatim exulceratus animus. Si *primum*, in tantum te obsecro, vince, ut à consortio aliorum segregatus in cubiculo tuo conjicias oculos in Crucifixum, qui tibi repræsentat JESUM tanta amore tuum, & ob peccata tua innocenter passum, tot Sanctos infinites quasi plura innocenter passos, tot sæculares pluribus, & longè majoribus præ te crucibus obrutos. Move te paulisper, nec sinas pure passionem agere. Deflecte oculos ad infernum, quem toties promeritus es, ad purgatorium, cujus pœnas impatientiam tuam horridum acuis. Attolle mentem in cœlum, quòd hæc, quæ pateris, & infinites plura extra omne dubium promeretur. Hebes es vel brutum, si similia paulatim oculos mentis tibi non aperirent. Dum jam paulatim mens ad saniora reducitur, perpende causas tres, cur correctionem Superiorum æquo animo excipere debeas. *Prima* est mandatum DEI, & potestas illis à DEO data te corrigendi. Visne contra DEUM insurgere? *Secunda* est, quòd fateri debeas, te hominem esse defectibus obnoxium. *Tertia* denique, quòd saltem aliàs, si non jam hæc illa me-

ritus



ricus sis, & in præsentī casu prudentia non fuerit in Superiore, virtus verò in te probari possit.

*In tentatione convitiarum, obreſationum,  
persecutionum.*

**I**N patientia vestra possidebitis animas vestras. Luc. 21. Considerat peccator justum, & querit mortificare eum; Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus, nec damnabit eum, cum judicabitur illi. Pl. 36. Propter te mortificamur tota die, estimati sumus, sicut oves occisionis. Pl. 43. Tu scis improprium meum, & confusionem & irreverentiam meam. Pl. 88. Propter te sustinui opprobrium. Pl. 68. Ibant gaudentes à conspectu Concilii; quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati. Act. 5. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tua letificaverunt animam meam. Pl. 93. Memor esto, Domine, opprobrii servi tui, quod continui in sinu meo. Pl. 88. Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os sum. Et factus sum, sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones: quoniam in te Domine speravi. Pl. 37. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me. Pl. 38. Desine ab ira, & derelinque furorem; noli amulari, ut maligneris (convitia reddendo convitiis) quoniam, qui malignantur, exterminabuntur; sustinentes autem Dominum ipsi hereditabunt terram. Pl. 36. Suscipiens mansuetos Do-

minu,